

nacho in sequentibus frater suus germanus nomine Copiosus narravit beato Gregorio, quod post triginta dies nocte per visionem apparuit dicens<sup>76</sup>: „Hucusque male fui, sed iam modo bene sum, quia hodie communionem recepi,“ scilicet per missarum celebrationem. Unde concludit in fine beatus Gregorius<sup>77</sup> dicens: „Concordante visione et sacrificio res aperte claruit, quia frater, qui defunctus fuerat, per salutarem hostiam supplicium evasit.“

Ecce, hec pro eo inserui, ut pateret, quia solum in apparenti visione nocturnali ipsius monachi liberatio ipsius fratris, qui dicebatur Iustus, est beato Gregorio promulgata. Potuit enim illa apparicio fuisse ficta a dyabolo, in futuram multorum deceptionem introducta, vel etiam potuit frater dicere, volens confusionem fratris germani et propriam palliare. Non tamen nego hoc fuisse veraciter, nec etiam assero, nec per hoc volo in aliquo missarum detrachere sacrificio. Dixi enim ante, quod salutaris hostia est merces sufficientissima redemptionis omnium purgandorum, nam dicit beatus Gregorius<sup>78</sup> in 4<sup>o</sup> Dyalogorum capitulo penultimo: „Debemus presens seculum tota mente contemnere et quotidiana Deo lacrimarum sacrificia quotidianasque carnis eius et sanguinis hostias ymolare. Hec namque singulariter victima ab eterno interitu animam salvat, que illam nobis mortem unigeniti per misterium reparat.“

O utinam sic faceremus nos sacerdotes, tunc enim non solum triginta missas propter pecuniam, sed quotidianas propter vitam eternam, spernentes mundum et sic mundi pecuniam in purgationem omnium defunctorum fidelium missarem, denique non pactatio symoniaca nos percuteret, non una Rebeca per unum grossum institutionem divini officii a sanctis patribus traditam dirumperet, non requiem sanctorum solemnitate propter offertorium amoveret, doceret autem nos caritas et mentis sinceritas annunciare populo, quod quelibet missa agitur pro defunctis, a qua etiam nullus in purgatorio excluditur, sed quod tantum sibi proficit, quantum meruit hic in via. Nam dicit Gregorius<sup>79</sup> in 4<sup>o</sup> Dyalogorum: „Sed sciendum est, quia illis mortuis sacra victima prodest, qui hic vivendo obtinuerunt, ut eos etiam post mortem bona adiuvent, que hic pro ipsis ab aliis fiunt.“

Sed dicet sacerdos: Ecce, venit ad me homo petens, ut triginta requiem sine interrupcione triginta dierum compleam; quid ergo faciam? Si pius es, dices: O homo, ego nescio, si tribus horis vivam. Si autem triginta diebus continuis vivam sanus in corpore, quis scit, si Deus me conservabit a crimine

et si dabit ad missandum gratiam, devotam mentem et sinceram contricionem? Et si ista pius Christus donaverit, o homo, etiam si tu non peteres, debeo humiliter tunc missare. Sed istam responsionem non addiscet Scarioth, sed potius questionem faciet, dicens apreciati: Quid<sup>80</sup> vis michi dare? Et ego cum tibi tradam, scilicet Christum in sacrificio. Nec recogitat, quod antequam veniat dies tricesimus, potest crepare medius et diffundere omnia viscera. Et quis tunc solvet triginta argenteos, pro quibus se ad triginta missarum ministerium obligavit? Nec solum ad triginta se Scarioth obligat, sed ad tot, quod si trecentis annis viveret, obligationis numerum non completeret. Sed quis pro eo officiat, ipse sciat. „Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit,“ dicit Apostolus 1<sup>a</sup> Cor.<sup>81</sup> 3<sup>o</sup>.

Sed dices: Omnino diswades triginta missarum ministerium pro mortuo, quod est contra beatum Gregorium, qui precepit pro supra dicto fratre mortuo missare, nam dixit ad monasterii prepositum nomine Preciosus:<sup>82</sup> „Diu est, quod frater ille, qui defunctus est, igne cruciatur. Debemus ei aliquid caritatis impendere et eum, quantum possumus, ut eripiatur, adiuvere. Vade itaque et ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium. Stude et nullus omnino pretereat dies, quo pro absolutione illius salutaris non ymoletur hostia. Qui protinus abscessit et paruit.“ Hec Gregorius.

Ecce, hic beatus Gregorius precepit triginta missas pro mortuo legere et Preciosus obediens paruit. Hic dico, quod non disuadeo triginta missarum ministerium, sed opto, ut non solum triginta, sed quotquot Deus michi concesserit, missas digne celebrare pro mortuis. Et alii sacerdotes similiter celebrent pensantes, quia beatus Gregorius non pecuniam ante missacionem obtulit aut sponndit, nec Preciosus cum fratribus postulavit, nec quod ipse Preciosus in persona propria triginta diebus sacrificium obtulit, sicut nec sibi Gregorius precepit. Sed ipse Preciosus cum fratribus triginta diebus ministerium compleverunt. Nam dicitur ibi:<sup>83</sup> „Cumque et Copiosus nesciret, quid pro eo fratres agerent, et fratres ignorassent, quid de eo Copiosus vidisset.“ Quale vel quod misse tunc perfecerunt officium, nescio, quia – ut puto – adhuc non erat requiem adinventum.

Sed currit dubium, cur homines moderni temporis ad tantum innituntur mortuorum suffragiis, cum in tota sacra Scriptura non docuit hoc Spiritus Domini expresse preter librum Machabeorum, qui non est de Veteris Testamenti apud Iudeos canone, in quo 2<sup>i</sup> Mach.<sup>84</sup> 12<sup>o</sup> dicitur, quod vir fortissimus

Iudas „facta collatione duodecim milia dragmas argenti misit Ierosolimam offerri pro peccato sacrificiorum.“ Et concluditur sic<sup>85</sup>: „Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.“ Denique nec prophete nec Christus cum suis apostolis nec sancti eorum sequaces propinqui orare pro mortuis docuerunt explicite, sed docuerunt valde sollicitate populum, ut vivens sine crimine foret sanctus.

Hic videtur michi, quod prima causa est seductio sacerdotum procedens ex avaricia, qui non instar prophetarum, Christi et apostolorum docent populum sollicitate bene vivere, sed multum docent offerre ponendo eis spem beatificationis et velocis liberationis a purgatorio. Unde adducunt multa mendacia, inter que unum ascribunt beato Gregorio, quod diceret<sup>86</sup>: „O quam mirificum donum de Dei misericordia, quod nunquam celebratur missa, quin ibi concurrant duo opera, unius peccatoris conversio et ad minus unius anime redemptione de purgatorio.“ Istud autem mendacium recipiunt in libello mendacii, qui intitulum Stella clericorum, in quo allegatur Gregorius sine titulo.

Convincitur autem istud mendacium primo exinde, quod nullibi habet in lege Domini fundamentum. Secundo exinde, quod dum Christus in cena sua corpus suum in sacramento dedit discipulis, non tunc aliquam animam de purgatorio eduxit, cum tamen ipse sit supremus episcopus missam instituens, sine cuius oblacione non est a peccato conversio nec a purgatorio liberacio. Tercio convincitur illud mendacium ex hoc, quod multi sacerdotes more Scarioth missas officiant, dum sunt in luxurie vel avaricie crimine, qui tunc in iudicium sibi missant et manducant iuxta Apostolum 1<sup>a</sup> Cor.<sup>87</sup> 13<sup>o</sup>. In quos etiam intrat sicut in Iudam Sathanas, ut sint pertinaces Domini proditores. Quomodo ergo quilibet eorum obtinet, ut minime unus peccator convertatur et una minime a penis purgatorii anima liberetur? Habent pro se illud Dei testimonium: „Non est michi voluntas in vobis et manus non accipiam de manu vestra“ – Mal.<sup>88</sup> 1<sup>o</sup>. Et iterum illud Ysa.<sup>89</sup> 1<sup>o</sup>: „Ne offeratis ultra sacrificium frustra.“ Cui ergo credendum est? Deo, vel ipsorum mendacio, quod illudunt simplicibus et nocent ecclesie damnificantes semet ipsos? Quarto convincitur ex hoc illud mendacium, quod Apostolus Christi et sic tota sancta ecclesia prohibet cuilibet existenti in crimine de pane Christi manducare et de calice eius bibere, dicens 1<sup>a</sup> Cor.<sup>90</sup> 11<sup>o</sup>: „Itaque quicumque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat.“

Indigne manducat et bibit, qui ut Scarioth in crimine illud facit et est reus corporis et sanguinis Domini. Glosa<sup>91</sup>: „Ac si Christum occideret, punietur.“ Quomodo ergo missa tam perniciosi Scarioth peccatorem convertit et minime unam animam a purgatorio liberat? Utinam talis mendax adverteret illud Eccli.<sup>92</sup> 34<sup>o</sup>: „Qui offert sacrificium de substantia pauperum quasi qui victimat filium in conspectu patris.“ Tunc enim non rursus crucifigeret sibimet Filium Dei. Tales enim proditores sunt „rursus crucifigentes sibimet ipsos Filium Dei et ostentui habentes,“ ait Apostolus ad Hebr.<sup>93</sup> 6<sup>o</sup>.

Melius ergo foret toti ecclesie, quod non sic missarent in crimine, quia alias ecclesia cum Apostolo non sic quemlibet singulariter et coniunctim singulos existentes in crimine ab illo cibo sacratissimo, qui mors est malis, vita bonis, prohiberet dicens: Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium, scilicet damnacionis, manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini, scilicet quod debet sumere existens mundus a crimine et in pura devocione. Hoc enim sonat precedens verbum, scilicet probet se ipsum homo conscienciam suam discuciens et sic scilicet mundus a crimine et in devocione de pane illo edat et de calice bibat. Sic non fecit avarus Scarioth et ideo crepuit medius, cibum recepit et animam perdidit propriam et nullam aliam meritorie liberavit. Quod ergo meritum similis Scarioth a Domino obtinebit? Utinam non perderet animam propriam et aliis non noceret!

Item contra illud mendacium pono per possibile apud Deum, quod quilibet sacerdos et omnes simul, qui sunt hodie, incidant in peccatum mortale, in quo durent per diem naturalem, quo stante nullus istorum debet missare per supradictam regulam Apostoli, alias oppositum faciens iudicium sibi manducaret et biberet, contraveniens voluntati divine. Ergo non ut sic prodesset, sed magis obsesset ecclesie profundando se in crimine et per consequens non unum peccatorem converteret vel unam animam a purgatorio liberaret. Item asserenti illud deberet dicere triginta missarum appreciator, quod non opus est triginta missis, cum plures leguntur misse, quam moriuntur homines, qui forent regulariter expurgandi. Nam parvuli baptizati dum moriuntur, vadunt ad patriam, qui nondum actualiter peccaverunt, et multi cristiani, ut speramus, adulti plene in presenti purgati etiam evolant ad patriam. Et quia iuxta Veritatis vocem lata<sup>94</sup> est via, que ducit ad infernum, et multi vadunt per eam, ideo timetur, ne multi cristiani cadant in damnacionem eternam. Ideo vel dicat illud mendacium asserens, quod tot anime a purgatorio liberantur